



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Duo Tractatus

Moneta, Giampietro

Marburg, 1628

Cap. V. De modo optandi, seu qualiter fiat Optio; & continet tres
Quæstiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63048)

CAP. V.

*De modo optandi, seu qualiter
fiat optio.*

QUÆRO PRIMO, *An optio semper fiat gradatim?*

Quatuor † sensus, seu intellectus admittere videtur hęc quæstio; quorum primus est; An semper antiquiores optent, deinde juniores. Secundus; An ita optio fiat, ut qui primus, seu antiquior est, optet, si velit, alias optet secundus, & eo nolente tertius, alias quartus, & sic deinceps. Tertius; An sicut primus antiquior optat vacantem præbendam, ita sequens in ordine optet præbendam antiquioris, alias vero, qui eum statim consequitur, optet præbendam dimissam ab illo secundo, & sic de ceteris. Quartus; An sicut intra eundem ordinem, & gradum præbendarum, admittatur etiam optio intra diversos ordines, ut puta quod primus, seu antiquior subdiaconus optare possit ultimam præbendam diaconalem, primus diaconus postremam sacerdotalem, antiquiorq; sacerdos aliquam ex dignitatibus vacantem, quæ in reg. cancellar. Apost. non comprehendatur. Ex quibus quoniam hic postremus intellectus coincidit cum sequenti quæstione, de eo ibi agemus. De aliis tribus per sequentes conclusiones respondebimus.

PRIMA CONCLUSIO. Antiquiores † regulariter prius optare debent, quam juniores: satis id patet ex *tex. d. c. fin. ibi, antiquiores, & quod ibi tradunt Doct. omnes, de consuet. in 6. antiquiores inquam receptione, prout latius explicando ostendimus cap. preced. q. 1. concl. 4.* Quædam tamen circa hanc conclusionem adnotanda sunt, quæ etiam ad sequentis, & illius etiam 4. conclus. explicationem, modumq; optandi spectant. Primo, quod † si canonicus antiquior differt optare intra legitimum tempus, ita ut sit periculum, ne illud dilabatur ad damnum juniorum, poterit junior sequens optare

optare præbendam, quam ille optare debebat, & tenebit optio junioris in eventum, quo senior, siue antiquior intra tempus statutum non optaverit: *ita voluisse videtur gloss pen. d. c. fin. de consuet. in 6. sed aperte tenet Staphil. tract. de lit. grat. tit. de vi & effect. clausul. vers. successive in huiusmodi literis, sequitur Zerol. in Prax. Episc. verbo, canoniz. versic. ad septimum, conclus. 4. Add. ad Rot. decis. 3. de consuet. in no. ad quod optime facit tex. juncta gloss. in l. fin. C. qui admit. ubi agnitio*

4 bonorum † possessionis facta per sequentem in gradu intra tempus primi, qui eum præcedit, & sic ante tempus congruum, operatur effectum suum tempore congruo, nec est necessaria alia agnitio: quod singulare not. ibi Rom. noster vero casus est in fortiorib. terminis, cum hi juniores optent intra legitimum tempus: facit & optime, quod post Salic. Cald. & Bellam. contra Jo. An. tradit Staph. *loc. cit.* quod † quando ex duobus expectantibus secundus in data acceptavit intra mensem primi, valet ejus acceptatio, si primus debuit tempore non acceptet; neque nova acceptatio requiritur in secundo mense. Secundo not. quod quamvis

6 videatur, † eum canonicum antiquiorem, qui optare velit præbendam, vel domum, necessario debere habere aliquid quod dimittat ad hoc, ut præferatur juniori, tum quod optio inter plura cadat, *ut sup. cap. 1. q. 1. admonuimus*, tum quod id satis aperte colligi videtur ex *tex. d. c. fin.* dum dicit, *illa præbenda, quæ optata non fuerit, erit illi, pro quo scripsimus, conferenda*: ubi id supponunt Doct. *de consuet. in 6.* Ex quo illud sequi videtur, quod si quis antiquior haberet canonicatum sine præbenda, prout accidere potest, *juxta text. in c. eum, cui, de præben. in 6. & c. fin. de concess. præben. eod. lib. & ea, quæ latius trademus inf. c. 7. quest. 1.* prout sæpe contingit, domo careat, non poterit optare, sed optabit sequens, qui aliquid habeat, quod dimittat, idque deinde optabit antiquior. Tamen melius rem consideranti apparebit, † illum antiquiorem

7 qui nihil habet, optare posse, neque ei præferri debere

junio

juniorem aliquid habentem, quod dimittat, tum quia
 in hoc casu militant omnes rationes, & æquitates,
 quas *sup. cap. 2. q. 1.* adduximus ad ostendendam ratio-
 nabilitatem hujus consuetudinis, ut cuique facile ap-
 parebit; tum quia sat est, quod quoquo modo cadat
 electio; Nam & melius est † habere, quam non habe- 8
 re, & id recte dicimus, cum & minus solum intelli-
 gatur, † etiam si nihil sit solum, & verbum, *amplius*, 9
 † ad eum quoque pertineat, cui nihil debetur, ut sunt 10
 tex. ad literam, in *l. minus solum*, & *l. verbum am-
 plius*, ubi late tradit Rebus. Alciat. & alii *ff. de verb. sig.*
 & tradit etiam idem Alciat. in *l. si ita à te*, *ff. eod. Catel.*
 Cotta, in *Memor. in verbo, minus*, apud quos habes alia
 pleraque similia exempla, ex quibus quoque fere sol-
 vuntur contraria. Ad id vero quod ex tex. & Doct. au-
 thoritate sumitur, dicitur, eos non negare, quin hu-
 jusmodi antiquior optare possit, sed attendendo, quod
 ut plurimum accidit, † *juxta tex. in c. sape, de appell. & 11*
l. nam ad ea, *ff. de legib.* de iis solum loquuntur qui
 præbendam habent, vel aliquid, quod dimittant. Ter-
 tio not. in optionibus † eum non censeri antiquio- 12
 rem, ideoque præferendum non esse, qui cum prius
 esset canonicus, postea mutavit præbendam, & cano-
 nicatum per impetrationem, & collationem, sed præ-
 ferri debere eum, qui post primam illius receptionem
 ante tamen secundam receptus fuit in canonicum; &
 ratio est, quia ille mutavit non solum præbendam, sed
 etiam canonicatum, atque adeo novus canonicus est,
 & dicitur noviter receptus, cum non tanquam cano-
 nicus, ut in optione contingit, sed tanquam extraneus
 assecutus sit eam præbendam, atque inde videmus de-
 nuo illi capiendam esse possessionem, admittique ad
 osculum, recipi in fratrem, & similia ei esse facienda,
 quæ nuper recepti facere consueverunt, atq; adeo me-
 rito censeri debet posterius admissus, ac receptus, &
 per consequens in optione huic medio tempore rece-
 pto postponendus est.

SECUNDA CONCLUSIO. Optio † ita gradatim 13

F 3

fieri

14 fieri debet, ut si non optat primus, seu antiquior, optet secundus, seu sequens; alias optet tertius, & sic deinceps; & hic † est, ni fallor, germanus intellectus illius verbi, *gradatim*, quod est in textu *d. c. fin.* quod ita exponit ibi gloss. quam ibid. approbat inter alios Gemin. & Rot. *decis. 5. vers. videtur tamen obstare, de consuet. in no. & decis. 4. II. nu. 2. 1. part. in noviss. divers. id ipsum etiam patet ex Doct. d. c. fin. in verbo, dumtaxat, dum quæruor post gloss. an illi dies currant omnibus simul, & an juniores teneantur expectare antiquiores per totum illud tempus in optando; & ad primum respondent affirmative, ad secundum negative, juniores non teneri per totum tempus expectare, de quo tamen nos latius cap. seq. clare enim supponunt, posse quoque juniores vacantem præbendam optare, ubi non optetur per antiquiores: & de hoc nemo dubitat.*

15 TERTIA CONCLUSIO. Optio † ita quoque gradatim fit, ut antiquiore optante præbendam vacantem, sequens optet præbendam, quam antiquior dimittit, & dimissam ab hoc optet alter, qui mox sequitur, & sic de ceteris: id satis aperte colligitur ex textu *d. c. fin.* dum ait, *poterunt ipsi antiquiores juxta consuetudinem eandem optare, cum præbenda vacabit, & illa qua optata non fuerit si nulla sit debita erit illi, pro qua scripsimus, conferenda.* Ex quo enim dicit in plurali antiquiores, & mox, *volentes*, de pluribus loquitur simul optantibus, ut in simili not. gloss. *d. cap. fin. verbo, dumtaxat*, cum maxime subdat text. & illa, *qua optata non fuerit*, quasi una ex pluribus, quæ optatæ fuerint. Sed aperte id sentit gloss. *in verbo, non fuerit*, ubi rationem assignans ad verba text. superius relata, inquit, *ex quo enim vacant præbende, necesse est unam remanere non optatam.* De illa igitur subdit, *provideatur impetranti.* Et in hac quoque conclusione nemo, quod viderimus, contradicit.

QUÆRO SECUNDO, *An optio semper fiat intra eundem ordinem & gradum?*

Prænotandum est primo, in aliquibus ecclesiis collegia-

legiatis † ex statuto, vel cōsuetudine dari tres ordines 16
 præbendarum, seu potius canonicorum, ut alii sint in-
 feriores, qui vocātur *scholares*; quia sunt sub cara obe-
 dientia, & regimine scholastici; quidam dicuntur *me-*
dii, & vocantur *emancipati*, quidam *majores*, qui soli
 habent vocem in Capitulo, & vocantur *capitulares*; ta-
 men præbendæ omnium sunt æquales, & non aliter
 quis potest ascendere ad majorem gradum, nisi per
 ordinem primo fuerit in inferiori, & de illo ascenderit
 ad medium, & hic ascensus fit secundum ordinem re-
 ceptionis, *de qua consuetudine Rot. Rom. decis. 9. num.*
1. de consuet. in antiq. Franc. Marc. decis. Delphin. 1271.
num. 4. 1. part. & Rom. consil. 227. In aliis vero ecclesiis
 † quædam sunt præbendæ majores, quæ non dantur 17
 nisi presbyteris; quædam mediæ, quæ solum diaconis
 & subdiaconis; quædam minores, quæ assignantur in-
 ferioribus, quæ consuetudo est Gratianopoli, *teste*
Franc. Marc. decis. 1260. In aliis demum plerisque † 18
 quædam sunt præbendæ, quæ solum sacerdotibus, a-
 liæ quæ solum diaconis, tertiæ, quæ solis subdiaconis
 assignantur, qui tamen omnes canonici sunt; & præ-
 terea quædam † sunt dignitates, puta Archipresbyte- 19
 ratus, Archidiaconatus, Primiceriatus, Præpositura, &
 Decanatus, prout in ecclesia nostra Mediolanensi, de
 qua distinctione passim jura loquentur, præsertim *c. 1.*
de at. & qual. c. ei cui, & c. cui de non sacerdotali, ubi
Doct. de præben. in 6. & in c. constitutus, de concess. præb.
& clem. ut hi qui, de at. & qual. & Trident. Concil.
sess. 22. c. 4. de reform. & sess. 24. cap. 12.

Prænotandum secundo, quod quamvis forte de ju-
 re communi antiquo † non esset alicui præbendæ ne- 20
 cessario aliquis ordo annexus, *ut voluit inter alios Abb.*
in c. 2. num. 5. de instit. (dignitatibus dumtaxat † exce-
 21
ptis quibus certus ordo annexus est, per text. d. c. 1. de
at. & qual.) cum id cautum non reperiatur; cum quo
 nihilominus stat, † quod etiam eo jure antiquo non 22
 nisi subdiaconus vocem haberet in Capitulo, *clem. ut*
hi qui, de at. & qual. quod etiam dispositum deinde

- fuit in Tridentin. Synodo, d. sess. 22. cap. 4. Tamen de
 23 jure novo † debet saltem in ecclesiis cathedralibus
 cuique canonicatui seu præbendæ esse ita annexus or-
 do presbyterii, diaconatus, & subdiaconatus, & ad E-
 piscopum cum consilio Capituli spectat designare
 distribuere, prout viderit expedire, quibus quisque or-
 do ex sacris annexus esse debeat, ut dimidia saltē pars
 presbyteri sint, ceteri vero diaconi, aut subdiaconi, nisi
 alicubi laudabilior esset consuetudo, ut vel plures, vel
 omnes sint presbyteri, quæ omnino debet observari
 ita disponitur in Tridentin. Concil. d. sess. 24. c. 12. quod
 24 quidem ordines † debebunt præbendati infra annum
 cessante justo impedimento suscipere; ut habetur d.
 sess. 22. c. 4. & hoc sub pœnis, de quibus in d. clem. ut hi
 qui, hoc est, amissionis dimidiarum distributionum,
 & vocis in Capitulo, donec promoveantur: neque ca-
 nonicatum, aut dignitatem obtinere quis poterit, nisi
 25 † in ea saltem ætate sit constitutus, ut infra annum
 possit illo ordine initiari, quem talis canonicatus, aut
 dignitas requirit, ut d. sess. 22. cap. 12. His prænotatis
 sic

PRIMA CONCLUSIO In primo casu consuetu-
 26 dinis, de qua in primo not. puto probabiliter † posse
 contingere optionem: ita in specie voluit Zerol. in
 Praxi Episc. verbo, canonis, versic. ad septimum, in prin-
 cip. juncta gloss. & Abb. conf. 159. num. 20. & 21. vol. 1.
 ita etiam colligi videtur ex Rot. decis. 9. de consuet. in no-
 & 9. d. eod. tit. in antiquis, & decis. 411. num. 4. 7. & 8.
 part. 1. in noviss. & Franc. Marc. d. decis. 1271. num. 3. &
 4. sed clarius id sentit Rot. Rom. decis. 10. de præbend. in
 antiq. Et hoc propter specialem consuetudinem super
 hoc inductam, ut patet ex iisdem Doctoribus; alias
 enim simplex consuetudo optionis intra eundem or-
 dinem introducta ex se ad diversos ordines extendi
 non deberet.

27 SECUNDA CONCLUSIO. In casu † secundæ, &
 tertiæ consuetudinis, de qua in d. 1. not. per quas distri-
 cti sunt in ecclesiis ordines præbendarum, & canoni-
 catuum,

catuum, ut alii sint sacerdotales, alii diaconales, alii subdiaconales, alii etiam inferiorum ordinum, puto quod in ecclesiis cathedralibus, ubi ex decreto Tridenti Concilii sunt solum distincti ordines sacerdotii, diaconatus, & subdiaconatus, ii que annexi sunt canonicatibus, non possit regulariter locum habere optio, nisi specialis de hoc consuetudo legitime præscripta rationabiliter inducatur, quod probo ex eo, quia ex dispositione prædicti Concilii, juncto *tex. d. clem. ut hi qui, & c. ei cui, & c. cui de non sacerdotali, de præben. in 6.* illi ordines non tam præbendis annexi sunt quam canonicatibus, ii que designati sunt, vel designari debuerunt per unumquemque Episcopum. Cum ergo per optionem mutetur quidem præbenda, sed non canonicatus, *ut dicam inf. cap. 7. quæst. 1.* antiquior subdiaconus, vel diaconus optando ultimam diaconalem, vel presbyteralem præbendam, aut simul canonicatum mutabit contra optionis rationem, aut cum idem canonicus sit, ordinem, & onus alteri canonicatui annexum suscipiet contra designationem à concilio requisitam. Secus vero erit † in aliis ecclesiis colle- 28
giatis, ubi ex sola consuetudine, vel statuto iidem ordines, vel alii annexi sint præbendis: poterit enim per statutum, & consuetudinem optari præbenda, simulque assumptum censebitur onus celebrandi, vel canendi Evangelium, & simul se intra annum promoveri faciendi ad ordinem requisitum, sufficere tunc, quod semper maneat idem numerus præbendarum, quibus talis ordo annexus sit. Et ratio est, quia tunc præbendis ipsis annexus erit ordo non autem canonicatibus, & in his terminis intelligendum est quod vult Abb. *conf. 347. num. 1. & 4. vol. 2.* dum supponit, posse eum, qui habet præbendam diaconalem, optare sacerdotalem. Item gloss. *d. c. fin. verbo, antiquiores,* & ibi ceteri dum contendentes, speciali consuetudine induci posse, ut major ordine præferatur in optione, aperte supponunt, inter diversos ordines admitti optionem. Eadem plane ratione in optandis domibus, quæ annexæ

non sint præbendis, vel canonicatibus, hujusmodi distinctione ordinum attendenda non erit, sed antiquiores simpliciter in receptione præferentur in optione domus vacantis, quamvis ea fuerit canonici diversæ ordinis. Quod idem propter eandem rationem dicendum erit in consuetudine inducta post concilium contra illam præbendarum secundum diversos ordines distinctionem, & simul etiam de dignitatibus, quæ non sint primæ post pontificalem in cathedralibus, neque præcipuæ in collegiatis (hæ enim cum ex reg. 3. cancellariæ reservatæ sint, non admittunt optionem, *juxta supra late tradita cap. 3. q. 2. conclus. 2.*) in illis namque licet non per extensionem, tamen ex speciali consuetudine fieri poterit optio, *ut in specie voluit Zerol. versic. ad 7. in princip. & Rot. decis. 411. nu. 4. 1. part. noviss.*

QUÆRO TERTIO ET POSTREMO, *An aliquæ solemnitates requirantur in optione?*

- TERTIA CONCLUSIO. Ex parte ipsius Capituli ut plurimum † requiritur, ut qui optat, admittendus sit per Capitulum, vel eum qui præest Capitulo tempore, quo ille se petit admitti, vel per alium, prout est consuetum: *ita in terminis tradit Rot. decis. 6. num. 7. consuet. in no. poterit tamen † hæc solemnitas per contrariam consuetudinem aboleri, ita ut sufficiat tacitus consensus Capituli, approbantis saltem consuetudinem optandi, prout nunc quotidie fit. Imo satis probabiliter sustineri potest † non esse necessarium consensus Capituli, sed sufficere, ut optantes notificent Capitulo optionem, & consensus requirant, licet non obtineant, eo quod optent vigore consuetudinis jam inductæ, quæ vim legis habet, ut optime tradit Abb. conf. 159. nu. 15. volum. 1. & ubi etiam requiretur consensus, is præsumeretur tam ex vicinitate locorum juncta antiquitate, ut bene deducit idem Abb. num. 14. II.*
- § 2. Iudicium sane † indubitatum est, nullam requiri collationem, aut investituram, *ut patet ex Io An. Gemin. & alijs, d. c. fin. de consuet. in 6. Cassad. decis. 17. de præbendis.*

Rot. decis. 10. eod. tit. in antiq. & alibi saepe Abb. d. consil. 159. n. 13 post Card. cons. 126. col. 3.

SECUNDA CONCLUSIO. Ex parte ipsius optantis tutius puto esse, † apprehendere possessionem præbendæ, vel domus optatæ, quamvis enim per ipsam optionem acquiratur jus in præbenda optata, absque ulla possessionis apprehensione; sicut etiam, ubi requiritur collatio in beneficio, per solam collationem † ante apprehensionem possessionis, acquiratur jus in beneficio, ut voluit gloss. communiter approbata in c. pen. in verbo, collatio, de præben. in 6. & est optimus text. in cap. si sibi absenti, eod. tit. & lib. & in c. ult. ubi Doct. de concess. præben. in 6. & late tradit Dyn. in c. 1. de reg. jur. in 6. & Covar. lib. 3. var. resol. cap. 16. num. 1. Tamen † tum propter fructuum perceptionem, tum propter interdictum unde vi, tum propter regularem annalis & triennalis possessoris prærogativam, tum etiam propter alios effectus requiritur corporalis possessionis apprehensio, prout tradunt Abb. & alii in c. cum super de caus. possess. & propr. Franc. c. si à sede de præbend. in 6. Covar. d. c. 16. num. 6. in princip. & num. 7. versic. Secundus casus, ac versic. seqq. nec non & num. 8. & in † hac specie optionis consuluit Franc. Marc. dec. 1265. per totam, ut possessio corporalis apprehendatur. Illud sane certum est, † possessionem hanc domus, vel præbendæ ab alio dimissæ, posse ab optante propria auctoritate apprehendi, ubi à nemine derineatur, prout in beneficiis, quæ per collationem tribuuntur, ex communi sententia resolvunt Rebuf. in Prax. benef. titul. de missione in possess. num. 5. ac Covar. d. c. 16. nu. 7. vers. 3. casus, & num. 8. ubi & toto illo cap. optime tractat, quæ ad apprehensionem beneficii spectant, neque tamen necesse est, † possessionem apprehendi ad cornu altaris, seu in ipsa ecclesia cum id proprium sit, quando acquiratur novum beneficium, ut patet ex Abb. d. c. cum super, Anchar. in reg. sine possessione de reg. jur. in 6. cum alii, quos refert, & sequitur Covar. d. c. 16. num. 10. 11. & 13. Duo tamen non omittam. Alterum quod

- 39 si ¶ simul quis legitime optaverit, & domū & præben-
dam, cum apprehendenda sit corporalis possessio ipsa-
rum rerum, puta fundorum, qui sunt de præbenda, ve
ipſius domus, non sufficiet acquirere possessionem u-
nius fundi, sed omnium capienda erit. Sed neque late-
erit acquirere possessionem vel præbenda, vel domus
nisi apprehensio fiat in ecclesia, per ea quæ post Dyn. d. c.
1. ibiq; Io. An. & Franc. aliosq; nonnullos tradit Coras
d. n. 13. De quo etiam videndus est Dyn. d. c. 1. Alterum
est, quod cum nullum à jure, vel à Doctoribus tempus
certum statuatur apprehendendi possessionem sive in
40 collatione, sive in optione, id remittetur ¶ judicis ar-
bitrio, juxta ea, quæ late tradunt Io. Coras in lib. 4. Me-
scell. jur. cap. 12. n. 6. & Menoch. de arbitr. judic. lib. 1.
q. 14. num. 2. 5. & 6.

SUMMÆ RERUM.

- 1 Optio fieri debet intra viginti dies, etiam ubi nullus
adsit executor, aut expectans. num. 2.
- 3 Tempus optandi minui potest per Capitulum.
- 4 Favori suo quilibet potest renunciare.
- 5 Tempus legitimum optandi tunc demum minui potest
per Capitulum, si in id consenserint omnes optandi
volentes.
- 6 Singuli de Capitulo consentire debent, ubi de singula-
rum præjudicio agitur.
- 7 Tempus viginti dierum ad optandum prorogari po-
test per Capitulum, quæ tamen prorogatio non
obesse Apostolicis impetrantibus. numer. 8. nisi
esset induc-ta consuetudo post text. d. cap. fin. de
consuet. in 6. numer. 9. secus vero in statuto. nu-
mero 10.
- 11 Tempus optandi currit omnibus simul, & unicuique
datur.
- 12 Tempus quod pluribus datur, etiam gradatim ad
aliquid agendum, omnibus simul, & collectivè
datum censetur.

- 13 *Tempus redimendi à statuto præfixum currit simul omnibus consanguineis, quamvis unus alteri præferatur.*
- 14 *Mensis, qui pluribus expectantibus datur, omnibus simul currit.*
- 15 *Tempus unicum viginti dierum ad optandum, ne aliis præter antiquiorem labatur, quæ cautela sine adhibenda, & cum seqq.*
- 16 *Consanguinei remotiores possunt cogere proximiores, ut ante annum sibi à statuto præfixum retrahant.*
- 17 *Iuniores possunt optare etiam antequam optent antiquiores.*
- 18 *Tempus optandi solum currit à die scientiæ vacationis.*
- 19 *Tempus sex mensium ad conferendum ordinariis solum currit à die scientiæ vacationis.*
- 20 *Tempus optandi non modo non currit toti collegio canonicorum ignorantibus vacationem, sed neq; singularibus personis, si aliis scientibus vacationem, aliqua ex illis eam ignorent.*
- 21 *Tempus optandi non currit ex eo, quia vacatio nota sit in ecclesia, vel loco beneficii, nisi ibi sint presentes, qui optare volunt.*
- 22 *Notitia facta, de qua in clem. unica, §. certum, de concess. præb. procedit solum in casu speciali illius clem.*
- 23 *Ignorantia affectata & supina non excusat, quin currat tempus, cum utraque pro scientia habeatur.*
- 24 *Ignorantia supina quæ sit, quæve probabilis, remittitur arbitrio iudicis.*
- 25 *Lex inferioris quando præsumatur sciri, arbitrarium est iudici.*
- 26 *Scientia probatur præsumtionibus, & coniecturis.*
- 27 *Vicinus, & consanguineus præsumitur scire facta vicini & consanguinei: multo vero magis id verum erit in presente, num. 28.*

- 29 *Scientia praesumitur de eo, de quo est publica vox, vel fama, vel quod publice contigit. num. 30.*
- 31 *Scire quis praesumitur ea, quae fiunt in loco, quem frequenter solet.*
- 32 *Praesumptiones, & conjecturae scientia tolluntur, probetur absentia, vel alia iusta ignorantia causa.*
- 33 *Ignorantia regulariter praesumitur.*
- 34 *Ignorantia quando iuramento probetur, remissive.*
- 35 *Scientia, vel ignorantia quomodo probetur, vel praesumatur.*
- 36 *Mors vel ejus notitia, quomodo probetur, remissive.*
- 37 *Vacatio beneficii per contractum matrimonii, per affectationem alterius, aut resignationem quomodo probetur, remissive.*
- 38 *Notitia vacationis beneficii, quae sufficiens sit, & quando praesumatur.*
- 39 *Tempus optandi forte non currit iusta de causa impedito.*
- 40 *Impedito non currit tempus, ubi impedimentum non sit affectatum.*
- 41 *Minoribus impeditis non currit tempus optandi.*
- 42 *Prescriptio temporalis non currit minori.*
- 43 *Minores, & iuste impediti restituntur lapsa tempore optandi.*
- 44 *Absentes iusta de causa restituntur in integrum.*
- 45 *Impedimenta ob quae competit restitutio, remissive.*
- 46 *Minor, & iuste impeditus regulariter restituitur adversus qualibet omissa, & lapsum temporum ad aliquid agendum.*
- 47 *Restitutio forte non datur etiam minori in mere spiritualibus: secus in iis, quae sunt solum annexa spiritualibus, prout est materia beneficalis. num. 48. & licet de lucro captando agatur. num. 49. aut res integra non sit num. 50. maxime ubi minor alias non habeat unde vivat. num. 51.*
- 52 *Capitulum, seu collegium universum restituitur ex edict. minorum, ubi agitur de servanda consuetudine,*

53

54

Q
F
bet
tem
pecl
fulc
exp
ubi
vol
no. I
159
C
gar
P
pus
pen
qu
ta
lica
sim
opt
à n
nifi
lege
pro

rudine, seu statuto optandi, quia nemo optavit, alia secus.

53 *Iudex competens in causa restitutionis in integrum aduersus omissam optionem quis sit.*

54 *Arbitri, & arbitratores an possint restituere, vel saltem pronunciare esse restituendum, remissive.*

CAP. VI.

De tempore optionis, seu quando optandum sit.

QUÆRO PRIMO, *Intra quantum tempus fieri debet optio?*

Respondeo, quod regulariter loquendo † fieri debet intra 20. dies. *Quamvis enim tex. d. c. fin. §. ne autem, de consuet. in 6. loqui videatur solum, ubi est expectans, seu executor, tamen id absolute † in omni casu locum habere, etiam ubi nullus adsit executor, vel expectans, exponit, ac tener ibi gloss. in verbo, 20. dies, ubi Archid. Io. An. Gemin. Franc. & ceteri, quod etiam voluerunt. Add. ad Rot. decis. I. num. 8. de rer. permut. in no. Franc. Marc. decis. Delphin. 1258. nu. 5. Abb. consil. 159. n. 3. vol. I.*

QUÆRO SECUNDO, *An possit hoc tempus prorogari, vel minui?*

PRIMA CONCLUSIO. *Minui † potest hoc tempus per Capitulum ipsum, satis id colligitur ex gloss. pen. d. c. fin. & clarius ex Franc. ibid. in §. ult. ad fi. ex eo, quod dilatio hæc in favorem optare volentium inducitur, cui quilibet † renuntiare potest, c. ad Apostolicam, de regul. l. si quis in conscribendo, C. de pact. cum simil. dum tamen † in id quoque consenserint omnes optare volentes. Neque enim singulis nocet † factum à majori parte collegii in præjudicium singulorum, nisi omnes consentiant, ut voluit gloss. in l. 2. verbo, aut legem, C. qua sit long. consuet. quam sequitur Bartol. in proœm. ff. num. 5. Fel. in c. cum omnes, numero 18. & ibi Andr.*